

CHRISTOPHERVS BARO A LYMPVRG.



Christopherus natus est ex illustri semperq; libera baronū & pyncernarū Imperij de Lym-purg familia. hic à parentibus in omni genere uirtutum educatus est. Itaq; cum adoleuisset, pietate & prudentia omnes æquales suos longè superauit. postea Agnetē comitissam de Vuerdenberg, insignis pudicitiæ & formæ puellam, uxorē duxit, & ex ea pulchram & numerosam prolem progenuit. Cum autem Christopherus & eius uxor ob singularē uitæ sanctimoniam, immaculatiq; thori fidē, ac Christianæ pietatis domestica & priuata exercitia continua ab omnibus commendarentur & prædicarentur, statim à teneris annis utruncq; filium, Albertum & Erasmus, literis bonisq; disciplinis tradiderunt, hosq; Ecclesiæ manciparunt, ut in eo statu castissimi matrimonij Deo ad nominis sui honorem, Ecclesiæq; utilitatē, ceu loco decimæ, & sua daret pars uel portio.